



RAbanus ex nobili familia à Helmstat oriundus, multis uirtutibus & rara eruditione præditus fuit. Itaq; Vuenzelaus Cæsar eum Cancellarium elegit, atq; res maximas Imperij commisit. In ea functione tanta moderatione sese gessit, ut ab omnibus principibus diligeret. Itaq; cum Spirensis sedes uacaret, ipse anno 1396 eius loci episcopus electus fuit: Eam Ecclesiam per 42 annos magna gloria administrauit. Cum autem sub eo ciues Spirenses magna insolentia contra clerum sæuissent, eos Norinberge apud Sigismundum Cæsarem accusauit, atq; in iudicio superior fuit, ita ut ciues grauius punirentur. Cum hoc modo dextrè suam Ec-

clesiam gubernaret, etiam Treuerensis Archiepiscopus cõstitutus fuit. In ea dignitate per nouem annos perseuerauit, atque utriusque Ecclesię egregiam curam habuit. Cum etiam Huldricus comes à Mandershit ei aduersaretur, adeò cum eo egit, ut is sese intra suos limites contineret. Tandem ætate & laboribus fessus magno suorum luctu obiit, anno Domini 1438. Anon. in Episc. Spir.